

## EPISTOLA B. JOANNIS APOSTOLI SECUNDA

Senior Electæ dominæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem, <sup>2</sup> propter veritatem, quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum. <sup>3</sup> Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et a Christo Jesu Filio Patris in veritate, et caritate.

<sup>4</sup> Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre. <sup>5</sup> Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. <sup>6</sup> Et hæc est caritas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.

<sup>7</sup> Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor, et antichristus. <sup>8</sup> Videte vosmetipsos, ne perdati quæ operati estis : sed ut mercedem plenam accipiat. <sup>9</sup> Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet. <sup>10</sup> Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. <sup>11</sup> Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.

<sup>12</sup> Plura habens vobis scribere, nolui per cartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui : ut gaudium vestrum plenum sit. <sup>13</sup> Salutant te filii sororis tuæ Electæ.